









1723.

1. Beckmannus, Petrus Antonius : De excubitis
2. Beckius, Ioh. Tadeus : De iuribus feminis et  
Norimbergensium singularibus.
3. Beckius, Ioh. Tadeus : De jure concubatum  
emphytensis et inferentibus causis
4. Fichtnerus, Georgius : Decrees of the law.
5. Fichtnerus, Joh. Georgius : De iure commentatio
6. Hildebrandus, Harten : De resignatione hominis  
et iuris actionis impetrata. Von Obrigkeitl. Kap.  
Bürgung des Landes-Herzogtum n. -Grafs. Sachsen.
7. Hildebrandus, Harten : De iure seculi. Von Recht  
kunstjüngste Zeit.
8. Hofmannus, Georgius Ludovicus : De furo competente  
nobilium imperii imperatorum et coron proposito.  
Sicne iuri rationis alterius.

8. Hahn, Philippus Ludovicus: De his qui notantur  
in pauperia.
9. Rad, Carolus Petrus: De transacione super  
re iusticata.
10. Koderus, Fr. Ignatius: Sacra et illustris rationibus  
B. Mariae virginis in monte ad uictor. Bonn.  
Barbergum. d.c. die Gentilissima nostra Lieben  
Fräue auf der Burg bei Alt-Braudenburg
11. Linck, Georg Heinrich: De jure aedificandi  
in suo. Von dem Recht auf den Privilegiu zu  
bauen
12. Rink, Eusebius Gottlieb: Imperatores principi  
perpetui ac soli academicarum in Germania  
antores. 1728 - 1736.

13. Schreyer, Dr. Heus: De aloe..

14<sup>a</sup> 176 Schwarzeius, Christianus Jacob. De Bubon-  
carci praecipue i*ts*, qui Norimbergal alio  
fornierunt. 2 Janu*s*. 1773. 1743.

Les

n.

25

iii



1723,5

7. 7.

6

21

DISSERTATIO IVRIDICA  
DE  
**IVRE COMMEN-  
TITIO**

QVAM

P R A E S I D E

**DN. IOH. GEORGIO  
FICHTNERO**

IVRIVM DOCTORE PANDECTORVM P. P.  
PERILLVSTRIS REIPVBL. NORIMBERG. CONSILIARIO  
H. T. FACVLTATIS IVRID. DECANO

*ERVDITORVM EXAMINI*

SVBMITTIT

*AVTOR ET RESPONDENS*

**GOTTLIEB FRIDERICVS THOMAS  
BARVTHO - FRANCVS.**

*AD D. XXVI MAII MDCCXXIII.*

---

*ALTORFI*

TYPIS IODOCI GUILIELMI KOHLESII ACAD. TYPOGR.

25  
DISSESTITATIO IARIDICA  
de

IARRE COMMEN.  
TITIO

QAVM

PRAESIDE


DN IOH. GEORGIO  
HEICHTNERO

IARUM DOCTORIS IANDECTRUM R. R.  
PERIATRIS RHEUMATIS NORUMBERG CONSILARIO  
H. FACULTATIS IARID DEGENO  
ERUDITIONVM EXALMI

GOTTLIBE RIEDERICO THOMAS  
BARUCH TRAUNACAE  
AD D. XIX. MDCXXII

LIBRI

1711 10001 GÖTTLIBI THOMASI ACER TASCUL



3



## Q. D. B. V.

### §. I.



Vamvis Jurisprudentia sit vera, non fūcata & simulata Philosophia, L. i. s.  
i. ff. de J. & J. adeoque ab ejus ceu  
veritatis studio commenta & figura,  
tanquam legum præstigia & larvæ ve  
ritatis maxime abhorrentia videantur.  
Attamen infinitas propemodum fictio  
nes optimo consilio ( ut scil. per eas ad justum & æquum  
perveniatur , non dispari arte a nautica , qua aversi tendunt  
ad portum ) Jure Civili introductas esse , recte ostendit Anton. Dadin. Alteserra , de Fictionibus ita scribens : Nec a Jure  
abhorret fictionum titulus , nec honestis discrepat moribus.  
Ab his enim abest calliditas , dolus , frausve , & quod in Jure  
fictio dicitur , si verum amas , magis est iusta cœconomia &  
dispositio juris , per quam juris nodi solvuntur , & tota æqui  
bonique ratio ordinatur , componitur . Non soli Pictores &  
Poetæ fictiones & vana simulacra sibi artis delicias faciunt:  
Etiam in Gentilium superstitione Diis gratæ fuere ficticiæ vi  
-

A 2

Etimæ,




Etimæ , & pro humanis victimis , quæ Saturno immolari solebant , simulacra hominum subjici , pius & humanum visum est , ne in atrocitate magis , quam in pietate religio consistat . Aliquando & spirantium victimarum vicem implerunt diligenter ; in celebrandis Magistratum comitiis placuere facta auspicia & fulgoris signum a lœva missum conclamatum , et si nullum datum esset . Etiam fictiones usquequa non respuit ipsa S. Scriptura , & quod perpetuum vel æternum est , pactum salis dicere maluit . Variis verborum coloribus veritatis sacramenta insinuavit & Christus per parabolas & figmenta de infrugifera fico arefacta , de lampadibus sponsi , de sementis , incrementis . Hypocritas apud eum audies per sepulchra dealbata , quæ foris marmorea , intus nihil aliud , quam cineres & putredinem continent . Ita vero & Jus nostrum civile tot ac tantis gaudet & scatet figmentis & commentis , ut ipsum Juris commentitii nomine intelligatur in L. 20. ff. de Panis . quod tamen commentitium jus ne temere dicas aut putas mendax vel falsum , sed potius fictitium . Commentum enim hic idem est ac fictio , quæ recte definiri potest , quod sit falsi seu ficti pro vero æquitate suadente legis assumptio . arg. L. 39. ff. de Oper. Libert . Dicitur Legis assumptio , ut excludantur mendacia , quippe quæ non a lege , sed ab homine procedunt , & in fraudem alterius tendunt , cum e contrario fictiones beneficium juris contineant ex certa causa alicui tributum . Porro dictum , ficti pro vero æquitate suadente ; quia ubi nulla æquitas , ibi nulla quoque est fictio . Bartol. in L. 15. ff. de usurp. & usucap. n. 67. & seqq.

### S. II.

Hoc autem jus commentitium commode dividi potest  
1) in Affirmativum , 2) Negativum , & 3) Translativum .  
Primum

¶¶¶¶¶

Primum est, quod fingit aliquid esse, quod tamen non est. Ejus exempla in jure civili inveniuntur varia, ut puta in *pr. Instit. de Excusat. tutor.* ubi liberi in acie amissi pro superstitionibus habentur, & Patri ad excusationem a tutelis & aliis muneribus civilibus prodesse dicuntur, ex hac eleganti ratione: Quod ii, qui pro Republica ceciderunt, in perpetuum per gloriam vivere intelliguntur. Qua de re Cicero præclare in *Planciana:* Qui pro Republica, ait, vitam reddiderunt, licet me despere dicatis, nunquam mehercule eos mortem potius quam immortalitatem affecitos putavi. Et idem, *Philip.* 9. li, inquit, maiores nostri, qui ob rempublicam mortem obierant, pro brevi vita diuturnam memoriam reddiderunt. Et rursus *Philip.* 14. O fortunata mors, quæ naturæ debita pro Patria potissimum est redditæ. Brevis quidem vita nobis data est: at memoria bene redditæ vitæ sempiterna: quæ si non esset longior, quam hæc vita, quis esset tam amens, qui maximis laboribus & periculis ad summam laudem gloriamque contenderet? Atque hinc etiam testimonio Solonis probat Herodotus *Lib. 1. Histor.* Splendidissimum genus mortis esse, pro patria mori. Idem attestatur Xenophon *L. 2. & 4. Histor. Grac.* Ceterum Interpretes quidam, quod hic de eo, qui in acie cecidit, proditum est, etiam ad illum pertinere, non omnino absurdæ censem, qui in acie lethaliter vulneratus, extra eam decessit; cum quæ in continenti flunt, inesse credantur. *L. 40. versu: dicebam. ff. de R. C. & comparari hæc inter se soleant, mortuum videlicet statim & lethaliter vulneratum esse. I. Feud. 5. in princ.* Petrus Heigius *ad princ. Inst. de Excusat. tutor.* Ast quo loco habebimus illos, qui neque in castris, neque in acie dimicant, neque inter oppugnandum neque expugnandum pereant, sed in aliquo Duello tantum, ob Patriæ tamen



& Ecclesiæ salutem , ( quale inter Davidem & Goliathum , )  
vel cum proditore Patriæ , vel ex militaris Ducis indulgentia  
ob bonum publicum cum milite hoste suscepto ? Quidni  
vero & hos post mortem gloriose vivere statuemus ? Cum  
alias majorem gloriam , majusque præmium meruisse dicen-  
dum sit tyronem aliquem , aut gregarium ad Cannas aut Thra-  
sumonum lacum trucidatos , quam Manlium aliquem Tor-  
quatum , aut Valerium Corvinum , si cum singulari hoste per  
provocationem dimicantes laudabiliter occubuerint . Ita di-  
ferte tradit Frid. Jac. de Gruenthal , in *Orat. pro immortalis  
gloria eorum , qui vitam Reipublica impenderunt , pag. 8. seqq.*  
Quorundam pertinent versiculi :

*Nescio quis patriæ cunctos tenet ardor amoreque.  
Pro patria vitam profundere dulce piumque.  
Pro Christo magnum decus est profundere vitam.  
Christi in amore mori , mihi vita est & regula vita.*

Vid. omnino Andr. Osiander ad Reg. I. c. 17. v. 50. ubi ex  
D. Hieron. Wellero notavit : Monomachiam Christiano con-  
cessam esse , si modo quis rite pro salute Ecclesiæ & Patriæ in sin-  
gulare prælium descendat , non vindictæ & inanis gloriæ cu-  
piditate . Alias vero & extra hunc casum , sicuti duella omni-  
jure prohibita esse , ita consequenter & liberos in duellis amis-  
tos , commento juris , neutiquam pro superstitionibus habendos ,  
nec patribus ad excusationem a munieribus & oneribus pro-  
delle existimamus .


### S. III.

Per commentum adoptionis , liberos quoque nostros fieri ,  
qui

qui natura tales non sunt , adeo ut in familiam adoptantis transeant , sicque omnia familiae Jura , dignitatem & nobilitatem consequantur , constat ex tot . tit . Inst . & ff . de Adoption . Nam in adoptione quedam nuptiarum singitur imago , qua liberi adoptivi perinde habentur , ac si ex justis nuptiis suscepisti essent . Et hoc est quod dicitur in L . 23 . ff . de Lib . & posthum . Imagine i . e . adoptione naturae veritatem adumbrari . Adoptio enim est commentitia & civilis ratio sibi faciendo & querendi liberos . Cujus originem & usum antiquissimum esse , vel ex eo liquet , quod Mosen a filia Pharaonis adoptatum fuisse sacrae literae testantur . Exod . Cap . 2 . v . 10 . Theseus item fortissimus ille Athenarum Rex Herculeæ virtutis ænulus ab Ægeo adoptatus dicitur , unde & nomen fortitus est . Hujus adoptionis vero causam præcipuam fuisse constat , ut sterilitati conjugis vel liberorum vel familiarium mortalitati consuleretur . Quidam & matrimonii molestias rebusantes , vel liberos debiles aut improbos habentes ac degeneros naçti , adoptione sibi eos & forte meliores querere sunt conati : cum sape naturales a præsca avorum virtute discedant ; eosdemque adoptivi multis nominibus superent , ut est apud Stobæum serm . 74 . & Plin . in Panegyr . ad Trajan . Hinc apud Romanos Scipio Africanus , cum filium haberet minus bene valentem & gignendis liberis parum idoneum , Pauli Aemilii filium adoptavit , qui in sacra Scipionum transiens postmodum Africanus minor dictus fuit . Sic Augustum a Julio Cæsare , Tiberium ab Augusto , Trajanum a Nerva , Justinianum a Justino aliosque ab aliis adoptatos legimus vid . § . 11 . Inst . de Adopt . ibique Doctores .

## § . IV .

Cum autem , ut supra dictum , adoptio nuptiarum sit imago ,  
& natu-



& naturam imitetur, inde sponte sua fluit, quod illa in his demum per sonis locum habere possit, in quibus etiam natura potest, neque tale monstrum in Rempubl. introducendum, ut major Patre filius, aut certe ætate illi æqualis secundum naturam videatur.  
*L. 16. ff. de Adopt. & §. 4. Inst. cod.* Unde Cicero in orat. pro *Domino* sua ad Pontifices, exponens, non potuisse Clodium adoptari a Fontejo: Factus es, inquit, ejus filius contra fas, cuius per ætatem pater esse potuisti. Dico apud Pontifices: Nego, istam adoptionem Pontificio Jure esse factam. Primum, quod haec vestræ ætates, ut is, qui te adoptavit, vel tibi loco filii per ætatem esse potuerit; deinde quod causa queri soleat adoptandi, ut & is adoptet, qui quod natura jam assequi non potest, & legitimo & Pontificio Jure querat, & ita adoptet, ut ne, quid aut de dignitate generum, aut de facrorum religione minuatur: Illud in primis, ne qua calumnia, ne que fraus, ne quis dolus adhibeat: ut haec simulata adoptio filii, quam maxime veritatem illam suscipiendorum Liberorum imitata esse videatur. Que major calumnia est, quam venire imberbem adolescentulum bene valentem ac maritum: dicere filium senatorem populi Romani velle se adoptare &c. Hinc & Herodianus ridiculam vocat adoptionem, qua Heliogabalus Imperator annos natus 14. adoptavit Alexandrum annos natum 12. Eoque spectat illud Aufonii distichon.

*Nulla viro soboles: imitatur adoptio prolem*

*Quam legisse juvet, quam genuisse velit.*

Quamvis autem ex predicto Axiomate, quo adoptio dicitur imitari naturam, multa fluant ac dependeant v. g. quod, qui natura liberos procreare non possit, idem quoque adoptare nequeat, uti castratus, §. 9. *I. de Adopt.* Quod, uti frater procreari non potest, ita nec per adoptionem fieri *l. 7. C. de Hered. instituend.* Attamen in §. 5. & 6. *Inst. de Adopt.*

*duo*

❀❀❀

duo afferuntur casus, quibus adoptio naturam non imitatur. Prior est, quo ille, qui nullum habet filium, adoptat tamen sibi nepotem, vel pronepotem; quod a natura plane remoto videtur: Siquidem naturaliter nepotem habere nequit, qui filio filiave caret. *L. 6. §. 2. ff. de Jure patron. c. 26. in fin. de Jurejur.* Verum huic incommodo ut occuratur, filium quis habere fingitur, hoc est, commentatio Jure nepotem tanquam ex filio adoptat, idque propter favorem familie propagandæ *L. 37. & 43. ff. de Adopt.* Etsi igitur a plerisque Glossographis vulgo dicatur, duo singularia sive duas fictiones in unam & eandem rem non concurrere: Huic tamen pronunciato contrarium exemplum hic habes propositum, in quo fingitur quis habere filium, & ex eodem habere nepotem, ut recte monuit Anton. Matthæus & Ant. Contius *Lib. 1. Lect. subsec. Jur. civ. c. 6.* Sufficit enim hic habere posse, h. e. aliquem ejus ætatis esse, ut & filium & ex eo filio nepotem ea ætate habere possit. Nam & is, qui uxorem non habet, filium adoptare potest, qualis sine uxore pater esse non possit. *L. 30. ff. de Adopt.* Alter casus est, quo vel filius in locum nepotis, vel contra nepos in locum filii adoptatur, quod itidem contra naturam videtur, ut scil. unus idemque sit patri filius, alteri patri nepos, tradente hic Giphanio.

S. V.

Sæpius quoque Liberi, qui in rerum natura nondum sunt, esse finguntur, veluti ii, qui in utero sunt, in multis juris articulis pro jam natis habentur, quoties de ipsorum favore & commodo agitur, *L. 7. & 25. ff. de Stat. Hom. L. 231. ff. de V. S.* Sic v. g. Posthumos in tutela haberi pro jam natis, & proinde iis, si sui sunt, tutorem in testamento a Patre dari posse, constat ex *§. 4. Inst. de Tutelis;* cum pater præsumma-



sumatur liberis suis & posse & velle optime consulere. *L. 22.*  
*g. ult. ff. ad L. Jul. de Adult.* & nihil utilius posthumo esse  
 queat, quam ut nasciturus eo tempore, quo patrem amplius  
 non habebit, saltem habeat tutorem, a quo perinde ac a patre  
 regi possit. Anton. Fab. *Tom. 1. Jurisprud. Papin. Tit. 12.*  
 Eodem juris commento posthumi pro jam natis habentur in  
 heredis institutione, ita, ut vel institui vel exheredari debeant  
**ex eadem ratione**, quæ est in jam natis, puta, quia hereditas  
 patris ad liberos, qui sunt in potestate, spectet, & quasi ipso-  
 rum sit propria, dominiumque in eos continuetur, nisi illo per  
 exheredationem priventur. *L. 11. ff. de Lib. & posthum. hered.*  
**L. 1. f. 12. ff. de Success. Edict.** Sic porro iis ceu jam natis  
 defertur legitima hereditas. *L. pen. ff. de Statu Hom.* Bonorum  
 possessio. *L. 1. f. 8. ff. unde cognati.* Si quis prægnan-  
 tem uxorem reliquit, non videtur sine liberis deceſſisse. *L. 187.*  
*ff. de R. J. v. g.* Si is, cui ita legatum fuerit, quando liberos  
 habuerit, intelligitur impleta conditione deceſſisse & legatum  
 valere. *L. 18. ff. quando dies Legat.* dummodo posthumi vivi  
 nati fuerint. Nam qui mortui nascuntur, neque nati neque  
 procreati videntur, nec liberi appellari possunt. *L. 129. ff. de*  
*V. S. L. 2. & 3. C. de posthum. hered. inst.*

### S. VI.

Liberos legitimatos per subsequens matrimonium, con-  
 fectis dotalibus Instrumentis, commento legis pro legitimis  
 haberit, pateſcit ex *L. 5. & seq. C. de Natur. Liber.* quia ma-  
 trimonium fictione juris ad tempus liberorum susceptionis re-  
 trotrahitur, ut legitimati quasi post contractum matrimonium  
 legitime suscepti habeantur. *cap. 7. q. qui filii sint legitimi:*  
 ubi tanta vis matrimonii esse dicitur, ut qui antea sunt geniti,  
 post contractum matrimonium volentes legitimi censeantur,

cum



cum matrimonium subsequens purget omne vitium antecedens. Unde hi liberi legitimati nomine legitimorum in statutis veniunt, ehrlich gebohrne Kinder. Carpzov. P. 2. Def. 236. n. 12. Gail. L. 2. O. 141. accipiunt testimonium natalitium, Geburths-Brieffe / quod ex legitimo thoro & honestis parentibus nati, Carpz. P. 2. c. 6. d. 15. in fin. a Collegii opificum non excluduntur, Carpz. c. 1. def. 12. succedunt parentibus cum reliquis legitime natis, tanquam sui, Nov. 74. & aliis cognatis, tanquam legitimi, Nov. 89. c. 8. in pr. de consuetudine etiam in feudis, attestantibus Myler. ab Ehrenbach. in Gamolog. Princ. c. 24. f. 2. Mynf. 5. Obf. 42. Gail. 2. Obf. 140. Carpzov. P. 3. c. 28. def. 17. Schrader. de Fend. f. 7. v. 5. n. 21.

### §. VII.

Porro eodem juris figmento pater & filius in potestate constitutus, ob jus patriæ potestatis, ut & dominus & servus ob jus potestatis dominicæ pro una eademque persona habentur L. ult. C. de Impub. & aliis substitut. vox patris, vox filii est, & contra. f. 4. Inst. de inutil. stipulat. Hinc nulla inter patrem & filium in potestate constitutum obligatio & actio esse potest, f. 6. I. eod. cum absurdum sit & contra naturam, ut quisquam sibi ipsi obligetur, h. e. unus idemque sit creditor & debitor. Actio namque & passio, cum sint contraria, in eodem subjecto simul esse nequeunt. L. 4. ff. de Tutor. & Curat. dat. Quod si pater filio stipuletur, sibi acquirit, & stipulatio utilis est, perinde ac si sibi stipulatus esset. f. 4. I. de inutil. stipulat. Ob id etiam ususfructus per filium fam. patri acquiritur, & quod speciale est in usufructu, ususfructus per filium patri quæsitus, morte vel capitis deminutione patris non extinguitur, sed apud filium remanet, etiamsi a patre



hæres institutus non sit. *L. ult. C. de usfruct.* Paternum quoque testamentum & pupillare unum singitur testamentum, licet duæ sint hereditates, cum pupillare testamentum sit pars & sequela paterni testamenti, adeo ut si patris testamentum non valeat, nec filii quidem valebit. *§. 2. Inst. de pupill. substit.*

### §. VIII.

Cum heres quoque in jus universum defuncti succedat, *L. 37. ff. de A. vel A. H. l. 59. ff. de R. J.* idcirco & una eademque cum defuncto singitur persona, ejusdemque juris cum defuncto censetur. *Nov. 48. in pref.* Hinc pactum a defuncto factum ad heredem quoque ejus porrigitur, & qui pro se stipulatus est, heredibus quoque cavisse intelligitur, *L. 9. ff. de Probat. L. 13. C. de contrah. vel committ. stipulat.* quæ regula non tantum in herede, sed etiam bonorum possessore procedit, *L. 117. ff. de R. J.* etiam in heredis herede & reliquis ulterioribus. *L. 194. ff. eod.* Hinc diutina possessio, quæ prodebet defuncto cooperat, & heredi & bonorum possessori continuatur, licet ipse sciat, prædium alienum esse & vice versa, si defunctus initium justum non habuerit, heredi & bonorum possessori, quamvis ignorantis, possessio non prodest. *§. 4. Inst. de usucap.* Hinc hereditatis petitio, quæ heredi competit, heridis quoque heredi datur. *L. 3. ff. de Hered. petitione.*

### §. IX.

Heredes itidem suos commento legis vivis parentibus quodammodo bonorum paternorum dominos existimari, constat ex *§. 2. Inst. de Hered. qualit. & differentia.* Hinc post mortem parentum suorum non tam hereditatem percipere, aut dominium acquirere, quam potius dominium continuare & libe-

& liberam bonorum administrationem adipisci censentur. L. 11.  
ff. de Lib. & posthum. hered. quo respicit illud Ausonii, quem  
citat Borchoolt. ad cit. §. 2. num. 2.

*Justa quidem series patri succedere: verum  
Esse simul dominos, gravior ordo piis.*

Iudem quoque hereditatem non adire dicuntur, sed se immiscere, nec repudiare, sed abstinere. L. 1. §. 7. ff. si quis omisso  
causa testam. Ideoque licet hereditatem non adierint, nihilominus tamen ad suos & legitimos heredes transmittunt,  
L. 8. C. de suis & legitimis liberis. quia ratio naturalis & com-  
mune parentum votum liberis parentum hereditatem addi-  
cit, velut ad debitam successionem eos vocando. L. fin. ff.  
de bon. damnat.

### S. X.

Tandem referri huc potest larva furoris, quæ in jure  
nostro color furoris dicitur, pr. Inst. L. 2. L. 3. §. 1. ff. de  
inoff. Testam. quem jus fingit ad infringenda supra dicta judicia  
eorum testatorum, qui contra pietatis officium ab hereditate  
testamento relicta excluderunt eos, quibus vel ex naturali ra-  
tione, vel ex ratione miserationis legitima portio erat relin-  
quenda. Cujus commenti sive fictionis fundamentum est in-  
considerata, impia & iniqua exclusio, seu exhereditatio libero-  
rum in testamento a parentibus facta contra naturæ & com-  
mune parentum votum. L. 7. §. 1. ff. unde liberi. L. 7. ff. de  
bonis damnat. quæ mentis insanæ non minimam dare poterat  
præsumptionem. Ob quam etiam fictio hæc extensa post-  
modum est ad liberos, parentes suos inique excludentes, pro-  
pter rationem d. L. 7. §. fin. ff. unde liberi. & tandem etiam  
ad fratres. vid Grot. de J. B. & P. Lib. 2. cap. 7. §. 7.  
Harppr. ad Inst. Tit. de Inoff. Testam.


B 3

§. XI. Jus



## §. XI.

Jus commentitium affirmativum, de quo hactenus actum, nunc excipit negativum, quod fingit aliquid non esse, quod tamen est. Hujus exemplum potest esse in actione rescissoria, qua res revera usucpta, pro non usucpta habetur, atque ita pristinus rei dominus adhuc dominus esse fingitur, ne alias absentia alterius alteri noceat. Si quis enim Reipublicæ causa vel captivitate detentus abesset, & interim res ejus usucpta esset, rescinditur usucatio ex aequitate a Praetore per restitutionem in integrum; sic, ut perinde habeatur, ac si usucpta non fuisset, ac propterea ex ficto dominio datur Dominino ad rem suam repetendam, & ab eo, qui usuceperat avocandam, actio, qua dicitur rescissoria, ac definitur, quod sit actio præatoria, qua Dominus rem ex causa absentiae usucaptam, tanquam non usucaptam vindicat. vid. §. 5. Inst. de Action. L. 28. C. de postlim. revers. L. ult. C. de Tempor. Vocatur autem Rescissoria, quod usucaptionem rescindat, aut actionem temporali præscriptionis obstaculo rescisso, aut sublato restituat. Unde etiam non abs re diversis respectibus, modo rescissoria, modo restitutoria appellatur. L. 28. §. pen. & ult. ff. Ex quibus causis major. L. 18. C. de postlim. revers. Neque vero ideo communis & inveterata Doctorum approbanda est traditio, qua putant duas hic actiones, aut duo (ut ipsi loqui malunt) judicia subesse: unum rescindens, alterum rescissorium, & illo quidem intra quadriennium continuum ipsam usucaptionem & alienationem rescindi, hoc vero postea ipsam rem, de qua agitur, intra annum, quo primum experiri potestas fuerit, vindicari: Non enim in jure bipartitum tempus reperitur, unum judicio rescindenti sive judicio judicis accommodatum, alterum actioni rescissoriarum. Neque etiam usipiam



uspiam cautum est, hoc casu duas actiones, duave judicia competere, sed ita potius se res habet, ut cum a magistratu hæc actio rescissoria redditur, tacite & re ipsa simul quoque usucapio rescindatur. d. l. 18. C. de postlim. revers. L. 9. ff. quod metus causa. Datur autem hæc actio Domino, sive potius ei, qui Dominus fuit, sed stricto jure Dominus esse desit, re ab alio usucpta, & quidem tam absenti contra præsentem, quam præsenti contra absentem. Quæ duo diligenter in Pandectis distincta sunt. Nam de absente contra præsentem, est L. 2. & 18. ff. Ex quibus caus. major. Contra de præsente contra absentem est L. 21. seqq. ff. eod. Licet autem hic duæ tantum absentia exponantur causæ, propter quas hæc datur actio, absentia videlicet Reipublicæ causa & captivitas: Attamen certo certius est, ob alias etiam justas & probabiles absentia causas eam indulgandam esse, veluti si quis fuerit in vinculis, aut servitute, vel absuerit studiorum causa, & si qua alia justa absentia causa judici probabitur. L. 9. & seq. L. 26. §. ult. ff. Ex quib. caus. major. s. 5. Inst. de Action. ibi: quod genus actionis quibusdam & aliis simili aequitate &c.

### S. XII.

Sic juxta idem jus commentitium negativum non videatur cepisse, qui mox alii restituere tenetur. e. g. Legata incapaci in testamento vel codicillis relictæ nullius esse momenti, sed ad heredes ab intestato statim reverti, constat ex L. 3. ff. de his que pro non script. d. l. 1. C. de. H. J. & quidem ex eodem fundamento juris commentitii negativi, quo fingitur, ac si talia testamento inserta nunquam fuissent. Perinde sunt, ac si scripta non essent. L. 1. & 2. ff. de his que pro non script. Attamen si legata incapaci ita relictæ, ut alii restituant capaci, subsistunt. L. 42. ff. de Legat. 2. l. 28. ff. de Leg. 3. L.



3. L. 16. §. 15. ff. ad Sct. Trebell. & quidem ex supra dicto fundamento fictionis, ut quasi non cepisse videatur ipse incapax, sed mox ad capacem translatum esset legatum, cum hoc pusillum temporis, quo alter alteri legatum restituere tenetur, in jure non curetur, arg. l. 4. ff. de in integrum restitut. L. 8. ff. de Doli mali & metus except.

### §. XIII.

Ex hoc jure commentitio negativo quoque venit, quod servi pro nullis sive mortuis habeantur L. 32. ff. de R. I. nec ullam juris civilis aut Prætorii communionem habeant. L. 20. §. 7. ff. qui test. facere poss. nec extra ordinem computentur L. 7. ff. ad L. Cornel. de fals. Hinc obligari civiliter nequeunt L. 22. ff. de R. I. nec nuptias contrahere L. 7. ff. d. agnosc. vel alend. lib. L. 3. C. de Incest. & inutil. nupt. nec testamenta condere, nec ad solennia testamenti adhiberi l. 20. §. 7. ff. qui testam. fac. poss. Nec usucapere, quia possidere non possunt, cum ipsi possideantur L. 4. & 11. ff. de usurpat. L. 118. ff. de R. I. Nec cum Dominis suis confistere possunt c. l. 7. ff. ad L. Cornel. de falsis. Nulla cum eis est actio. l. 107. ff. de R. I. Non habent personam, seu statum, hinc procuratores esse nequeunt ad lites, cum non habeant legitimam standi in judicio personam. L. 12. ff. si quis cauit. Iisdem multo minus licet pro aliis postulare, Donat. in Phormion. servum hominem causam orare leges non sinunt, neque testimonii dictio est. Cum manumittuntur, capite non minuuntur, quia nullum caput habere dicuntur L. 3. §. 1. & L. 4. ff. de Capit. Minut. & §. 4. Inst. de Cap. Demin. Hinc manumissione novi homines seu alii esse videntur, & manumissione caput habere incipiunt. l. 27. §. 1. ff. de adim. vel transfer. legat.

### §. XIV. Eo-




## §. XIV.

Eodem fere modo & commento legis, Deportati, &, qui his hodie connumerantur, Banniti & proscripti a Camera vel Imperatore, pro mortuis habentur & e numero civium Romanorum tolluntur. vid. Ordin. Cam. P. 2. Tit. 9. §. Sojemande. Myns. Cent. 5. Observ. 78. num. 3. Gail. L. 2. de P. P. cap. 1. num. 23. Sicut enim homines morte intereunt naturali, ita etiam deportatione seu morte civili interire dicuntur: aut quemadmodum mors naturalis animam a corpore, ita mors civilis civem delinquentem a Republ. dis-  
solvit & instar putridi cujusdam membrum ab ejus corpore dis-  
fecat. vid. §. 1. Inst. quib. mod. patr. potest. solv. ibique Ddres. Quamobrem etiam illi, qui deportati jure commentitio  
mortuorum loco habentur, *ἀπόλιτοι*, i. e. extores vel sine civi-  
tate dicuntur L. 1. §. 2. ff. de Legat. 3. L. 17. §. 1. ff. de  
panis. Hincque non possunt testamentum facere, nec ex te-  
stamento hereditatem, legatum vel fideicommissum capere.  
L. 6. §. 7. ff. de Injust. irrit. factō testam. L. 1. §. 2. ff. de  
Legat. 3. L. 17. §. 1. ff. de panis L. 8. §. 2. ff. qui testament.  
facere possunt L. 1. C. de H. §. L. 16. ff. de Interdict. &  
Relegat. Solvuntur obligationibus omnibus L. 47. ff. de Fi-  
dejuss. & mandat. Amittunt civitatem, patriam potestatem,  
& omnia ea, quae sunt juris civilis. L. 1. §. pen. ff. de Bon.  
poss. contra tab. L. 4. §. 2. ff. de bon. Libert. L. 29. §. 5. ff.  
de Lib. & posthum hered.

## §. XV.

Non solum autem deportati, sed etiam capitis damnati  
pro mortuis habentur, antequam poena affecti sunt. Hi enim  
ultimo suppicio damnati, statim amittunt civitatem & liber-  
C tatem,



tatem , quia servi poenæ efficiuntur. L. 29. ff. de pœnæ.  
 Poenæ servi autem sunt , qui in metallum damphantur ad effi-  
 ciendum scil. & parandum metallum in fodiis metallicis , &  
 qui bestiis subjiciuntur , ut vel cum illis pugnant , vel ab illis  
 dilaniantur §. 3. Inst. quibus modis jus patriæ potest. solv.  
 Ideo autem ii , qui ad bestias vel metallifodinas damnati sunt,  
 poenæ servi dicuntur , quia nullius plane , nisi supplicii sui servi  
 sunt : quippe cui in perpetuum sunt mancipati & addicti:  
 adeo ut si quid eis testamento datum vel legatum fuerit , pro  
 non scripto habeatur , quasi non Cæsaris servo datum , sed  
 poenæ. L. 17. ff. de pen. II quoque , quorum bona publi-  
 cata sunt , mortuis comparantur , eo , quod amissis bonis  
 quasi vitæ luce careant & pro nullis sint. Hinc societas bo-  
 norum omnium publicatione , velut morte solvit : quando  
 enim socii bona publicantur , in locum ejus fiscus succedit ,  
 adeoque pro mortuis habentur. L. 65. §. 12. ff. pro socio.  
 L. 7. §. ult. ff. de Capite minut. Monachi professi quoque  
 pro mortuis habentur , adeoque baptizare vel alia Sacra-  
 menta ministrare nequeunt , quia mundo mortui sunt , Deo autem  
 vivunt. Can. Placuit. Caus. 2. qu. 1. Item & testes esse non  
 possunt , quia habent vocem funestam. Can. Nullus. Caus. 2.  
 qu. 7. Non habent jus testandi. Can. quia ingredientibus.  
 Caus. 19. qu. 3. ne quidem ex consensu summi Pontificis.  
 cap. cum ad. in fin. §. de statu Monach.

### S. XVI.

Porro & exheredatos fictione seu commento legis pro  
 mortuis haberi , constat ex L. 1. §. 5. ff. de conjung. cum  
 emancip. Liber. Nam exheredati vitam amissæ existimantur ,  
 quia bona paterna amiserunt , sine quibus vita vix tolerari potest : unde & Græci vitam & substantiam bonorum  
 commu-

communiter *Biov* vocant. Aristophan. in *Nubib.*

*Quasi essem mortuus, substantiam lavas.* i. e. consumis.  
Unde etiam exheredatio comparatur morti, quia successit in  
locum potestatis vitæ & necis, quam olim pater habuit in  
liberos, uti innuit L. 11. in fin. ff. de Lib. & posthum. hered.  
verbis: *Licet eos exheredare, quod & occidere licebat.*

### S. XVII.

Venit nunc ordine explicandum Jus commentitium translativum, quod nihil novi singit, sed quod est in uno, transfert in aliud. Hæc translatio quatuor modis contingit. 1. A persona in personam. 2. de re ad rem. 3. de loco ad locum. 4. de tempore ad tempus. Quoad primam translationem, quæ fit a persona in personam, in primis notanda est Regula: *Quod quis per alium facit, perinde habetur, ac si ipse fecisset.* can. 72. de R. f. in 6to. §. 43. Inst. de Rer. Div. L. 9. §. 4. ff. de A. R. D. Cujus regular usus latissime patet etiam in delictis. Sic enim Ulpianus: *Dejecisse, ait, etiam si videtur, qui mandavit vel iussit, ut aliquis dejiceretur.* Parvi namque visum est, suis manibus quis dejiciat, an vero per alium. L. 1. §. 12. ff. de vi & vi armat. Idem Ulpianus: *Non solum autem is injuriarum tenetur, qui fecit injuriam, h. e. qui percussit, verum ille quoque continetur, qui dolo fecit, vel qui curavit, ut cui mala pugno percuteretur.* L. 11. ff. de Injur. Et Gordianus Imp. Non ideo minus crimen, inquit, sive atrocium injuriarum judicio tenetur is, qui in iustam accusationem incidit, quia dicit alium se hujusmodi facti mandatorem habuisse, namque hoc casu præter principalem mandatorem quoque ex sua persona conveniri posse, ignotum non est. L. 5. C. de Accusat. Item Alexander III. Illi vero, inquit, qui non per se ipsos, sed eorum autoritate

C 2

vel



vel mandato alii violenter injiciunt manus in Clericos, ad se-  
dem Apostolicam sunt mittendi, cum is committat vere, cu-  
jus autoritate vel mandato delictum committi probatur. *Cap.*  
*6. q. de Sentent. Excommun. & cap. 35. §. fin. q. eod. inde*  
*etiam is damnum dare dicitur, qui jubet dare. L. 179. ff.*  
*de R. J.*

### S. XVIII.

Huc etiam referri potest Jus repræsentationis, quod  
favorabile & divino quoque juri congruens & in omni fere  
materia extendenda. Unde etiam videmus, quod hoc ius  
repræsentationis non modo locum habeat in ea successione,  
quæ ex Jure civili descendit, sed & in feudo atque Emphytevi,  
adeoque etiam in Jure Patronatus observetur. *II. Feud. 50.*  
Item & in quibusunque hominum dispositionibus, quibus  
heredes ad successionem vocantur, cuiusmodi sunt investi-  
turæ & aliæ dispositiones contractuum & ultimarum voluntatuum,  
attendantur. Maxime vero obtinet & procedit in suc-  
cessione descendantium & liberorum, *L. 6. §. Nepotes. & L.*  
*85. ff. de Hered. instituend.* Alciatus in *L. 220. ff. de V. S.*  
unde filius jure repræsentationis non modo omnes qualitates  
& privilegia tam personæ patris, quam gradus competentia  
sibi assumit. Bach. in *L. 1. §. 16. ff. de conjung. cum emancip.*  
*liber. & in L. 2. in fin. C. de Liber. prater.* sed etiam ne-  
pos & in feudis succedit in gradu patris, eumque repræsen-  
tat, tam si sit solus, quam si concurrat cum patruo, filio va-  
falli defuncti. *II. Feud. 11. in pr. vid. late hac de re Alvarot.*  
*Valasc. de Jure Emphyt. qu. 50. per tot.*

### S. XIX.

Quod attinet secundam translationem quæ fit de Re ad  
rem: Ejus Exemplum potest dari in traditione commentitia  
seu

seu facta : qua nim. res , etiam si naturaliter & vere tradita non sit , commento tamen juris pro tradita habetur. L. 1.  
 §. 21. ff. de A. vel A. Possess. §. 44. & 45. Inst. de Rer. di-  
 vis. Hac autem traditio multis & variis solet fieri modis,  
 tam ex parte tradentis , quam accipientis . Ex parte traden-  
 tis 1) per clavum traditionem . Nam si quis merces in hor-  
 reo ( quod designat quodlibet repositorium vel frumenti , vel  
 vini vel aliarum rerum . vid. Doctores ad l. 7. ff. de Instruct.  
 vel Instrum. leg.) depositas vendiderit , simul atque claves  
 horrei in re præsenti , h. e. apud horreum vel in conspectu  
 horrei emptori tradiderit , confessim transfert proprietatem &  
 possessionem mercium ad emtorem , si modo venditor Dominus  
 fit , alioquin enim usucapiendi tantum conditio in b. f. emtorem  
 transit. l. 45. ff. de A. R. D. L. 74. ff. de C. E. V. Traditione  
 clavum quoque urbes & castra tradi , experientia satis  
 testatur . vid. Leo Ostiens. Chron. Caffin. L. 2. C. 39. ibi.  
 cum ergo Capuanus Princeps Constantinopolitano Imperatori  
 Basilio clam faveret , claves aureas ad illum misit , se &  
 urbem Capuanam , imo totum Principatum ejus per hæc Im-  
 perio tradidit . Sic & vina tradita videntur , cum claves cellæ  
 vinariae emptori apud eandem cellam traditæ fuerint . c. l. 1.  
 §. 21. in fin. ff. de A. l. A. Possess. Sic quoque claves olim  
 a marito tradebantur novæ nuptiæ , quasi quæ jam omnium in  
 domo rerum potestatem haberet una cum marito , prout re-  
 fert Brissonius. Lib. Singul. de Rit. Nupt. Sic 2) porro per  
 instrumenti porrectionem : veluti si quis coempto mancipio ,  
 instrumentum emtionis , den. Kauf-Brief / alicui tradat ,  
 dominium translatum censemur . L. 1. ibique Doctores C. de  
 Donat. Præterea 3) per demonstrationem : ut si vicinum mihi  
 fundum mercato vendor in mea turre demonstret , vacuum  
 que se possessionem tradere dicat , non minus possidere coepi ,



quam si pedem finibus intulisset. *L. 18. §. 2. ff. de A. l. A. Possess.* Ex qua lege infert Cujacius, *unum bodie esse, ut intelligatur quis apprehendisse possessionem Ecclesiae aut beneficiorum Ecclesiastici, solo etiam aspectu turris ipsius Ecclesia & actis publice ea de re habitis.* Idem 4) alii Doctores hinc inferunt, quod Dominus, dum vasallum in rem feudalem non introducit, sed vexillo, hasta, baculo aut alia re porrecta investire se vasallum dicit, possessionis propriæ accipiendæ causa illud fecisse, intelligatur. Nam quod alibi operatur traditio, hoc in feudi efficit investitura. 2. *F. 2. pr. Hottemann. Disp. feud. c. 26.* Per patientiam 5) quoque transferentis. Puta si quis rem, quam tibi ante commodavit aut locavit, aut apud te depositum, postmodum tibi vendat, donet, vel dotis nomine det, aut ex alio titulo ad transferendum Dominum habili tuam esse patiatur. *L. 9. §. 5. ff. de A. R. D.* Nam quoad translationem Dominii, nihil interest, utrum praecedat voluntas & sequatur traditio, an vice versa, neque ordo hic aut tempus respicitur. *arg. L. 21. ff. de R. C. d. l. 1. §. 21. ff. de A. l. A. Possess.* Hujus quoque generis traditio est, si debitorem meum jussero id, quod mihi debet, ex causa aliena tibi tradere. *L. 15. ff. de R. C.* Quo etiam referri potest constitutum possessorium, cum scil. vendens, donans aut aliter concedens se se constituit possidere vel simpliciter vel precastrio ejus nomine, cui conceditur. In hunc siquidem per istiusmodi constitutum transferri possessionem & consequenter Dominium passim ab omnibus traditum est. vid. Tiraquell. in *Tr. de constit. Possess. P. I. num. 2.*

## S. XX.

Ex parte accipientis facta traditio fit 1) per custodis appositionem. Nam si acervum lignorum, aut aliud quid huic non

non absimile emero , idque me tollere juss erit venditor , simul ac rebus custodem apposuerò , tradita mihi videntur . L. 51.  
*ff. de A. l. A. Poss.* Item 2) per signationem , ubi enim res venditas e. g. trabes vel similia eis tor sigillo suo firmaverit , signatione hac traditio facta intelligitur . L. 14. §. 1. ff.  
*de peric. & commod. rei vend.* Exceptio tamen est , si ante perfectam venditionem signaverit . L. 1. §. 2. ff. & L. 2. C. eod. tit. Plura hujus commentitiae fictæ traditionis exempla propo- nit Hottomann . *Illustr. quæst.* 12. de quibus in genere notari merentur versiculi , quibus veteres fictam traditionem com- prehendere voluerunt .

*Visu sive rei mutuatae venditione :*


*Si conductorem jussi deponere : rerum*

*Clavibus & charris : mea si conduco scienter,*

*Quamvis non aliter detur possessio transit.*

### S. XXI.

Eodem Commento legis subrogatum fingitur sapere na- turam ejus , in cuius locum subrogatur , & rem ipsam re- præsentare , sic ut pretium succedat in locum rei , maxime in judicio universali , v. g. petitione hereditatis , ubi b. f. pos- sessor , qui rem hereditariam vendidit , & postea redemit vi- liore pretio , tenetur restituere rem & pretium , quod ex venditione rei hereditariae lucratus est : quia fingi & existimari potest , pretium in locum rei hereditariae venditæ successisse & quodammodo ipsum hereditarium factum , quatenus partum est occasione hereditatis L. 22. ff. *de Hered. petit.* Sic etiam si hæres rogatus res hereditarias vendiderit , & ex pretio re- rum venditarum alias comparaverit , hæ veniunt in restitutione hereditatis , quia commento juris res comparatae ex pretio rerum



rerum hereditiarum sunt vice permutati dominii , nec videtur absumptum , quod in corpore patrimonii retinetur. L. 70. §. ult. & seqq. ff. de Leg. 2. L. 9. ff. si pars heredit. quemadmodum vero pretium in locum rei , ita vice versa sèpius res in locum pretii succedit , v. g. res empta ex pecunia militis , L. 8. C. de Rei vindic. vel ex pecunia pupilli , L. 3. C. Arbitr. tutela. L. 2. ff. quod ex facto tut. vel ex pecunia dotali. L. 54. ff. de Jure dot.

### S. XXII.

III. Supra dicta Translatio fit de Loco ad Locum , quando nimirum præsens pro absente habetur , & vice versa : unde absentia etiam in veram & fictam dividitur. Illa est , si quis proprie abest de loco , de quo quæritur ; Hæc , si quis quidem in loco , de quo quæritur , quoad corpus sit præsens , juris tamen commento seu intellectu propter certas causas pro absente habetur. Sic in negotiis , in quibus consensus & intellectus requiritur , absentes habentur furiosi , mente capti , infantes. L. 124. §. 1. ff. de Reg. Jur. conf. L. 2. §. 3. ff. de Jure codicill. L. 17. §. 11. ff. de Injur. L. 26. ff. de capt. & postlim. revers. L. 1. §. 1. ff. de Autor. & conf. Tutor. Nec obstat L. 2. §. 1. ff. de Procur. quia loquitur certo respectu , scilicet quoad procuratoris constitutionem , & ita cum ista lege conjungenda est , L. 1. §. 1. ff. Ex quib. caus. major. neque ejus verba captanda. Quemadmodum autem furiosi , mente capti , infantes , ebrili & dormientes juris commento pro absentibus habentur , ita etiam absentes corpore , juris commento præsentes censemur , e. g. si quis legitime citatus per contumaciam emanerit , æque ut præsens condemnatur. Hinc cum minor restituendus est , præsentibus adversariis id fieri debet , qui , si vocati per contumaciam

non

non compareant, æque restituitur. L. 13. pr. in fin. L. 29.  
§. 2. ff. de minor. Ita in publico officio constitutus, cum  
a Principe evocetur, quoad Jus salariorum pro praesente ha-  
betur. Bartol. in L. 19. ff. de Alim. leg. Bachov. ad Tit. ff.  
Ex quib. caus. major. p. 1161. Lauterbach. Colleg. Theor.  
Pract. ad d. tit. th. 5. Sic quoque studiorum causa absen-  
tes, favore studiorum, pro praesentibus habentur. L. 78. pr.  
ff. de Leg. 3. & L. 20. §. 6. ff. de instruct. & instr. Leg.  
in primis ob Theologiam, cap. 32. §. de præbend. Idem  
quoque obtinet in iis, qui in servitio Episcopi absunt. Hi enim  
absentes veluti praesentes accipiunt & lucrificiunt fructus præ-  
bendarum & aliorum beneficiorum. cap. Tiae fraternitatis.  
cap. Ad audientiam. §. de Cler. non resident.

### §. XXIII.

Videamus nunc IV. de Translatione, quæ fit de Tem-  
pore ad Tempus, quæ contingit in duabus insignibus specie-  
bus, scilicet 1) fictione postliminii, quæ facit, ut captus ab  
hostibus, domumque reversus, nunquam captus fuisset, sed  
semper liber mansisse intelligatur. L. 12. §. 1. & L. 16. ff.  
de captiv. & postlim. reversi. idque naturali æquitate & ob  
favorem militiae, cuius magna saepe haberi solet ratio, intro-  
ductum est, ut, qui per injuriam ab extraneis detinebatur,  
is, ubi in fines suos rediisset, pristinum jus suum reciperet.  
L. 19. pr. ff. cod. tit. Et 2) fictione L. Corneliae, quæ fin-  
git captum ab hostibus prima hora captivitatis, eoque ipso  
momento, quo captus, mortuum fuisset, & ita liberum de-  
cessisse. L. 10. §. 1. L. 11. §. 1. ff. d. t. §. 5. Inst. quibus mo-  
dis jus Patr. potest. solvitur. L. 20. ff. de vulg. & pupill.  
substit. Quæ Legis Corneliae fictio maxime inducta est  
propter testamenta captorum ab hoste. Etenim cum quis-  
piam

D



piam apud hostes moriebatur , quia sic in servitute decedebat , non poterat heredem relinquere. Id cum plenum videretur iniquitatis , Lege Cornelia receptum est , ut , qui ita obiisset , ab eo tempore , quo captus esset , obiisse fingeretur , quo tempore , cum fuerit liber , heredes tam ab intestato , quam ex testamento , si quos ante captivitatem forte reliquit , ex hac fictione habere censeretur. §. fin. Inst. quib. non est permiss. fac. testam. L. 28. ff. de Vulg. & pupill. subſt. L. I. C. de Postlim. revers. Ceterum hic notandum , quod cum hodie Christiani etiam ab ipsis Turcis aliisque Barbaris capti non amplius a nobis reputentur pro servis , ita nec porro praedictæ fictiones L. Corneliae & postliminii apud nos aliquem possint habere usum. Retinent enim captivi Christiani cuncta , quæ ante captivitatem habuerunt jura , adeoque sive revertantur , non indigent postliminio , sive in captivitate decedant , non L. Corneliae , cum hoc casu usque ad mortem duraverint eorum jura. Schilter. ad ff. Ex. 3. th. 2. 3.

### §. XXIV.

Ad hoc Jus commentitium translativum de tempore ad tempus etiam pertinet in primis Regula : Quod Ratihabitio æquiparetur mandato , & ad tempus contractus retrotrahatur. L. 60. ff. de R. f. Sic si filius fam. mutuam pecuniam acceperit sine jussu & mandato patris , & postea mutuum ratum habuerit , pater tenetur quod jussu , quia ratihabitio retrotrahitur , & mandato comparatur. L. fin. C. ad Sct. Macc. Hæcque ratihabitio non tantum in contractibus , sed etiam distractibus & in judiciis , itemque maleficiis retrotrahitur. In distractibus , v. g. si falso procuratori solutum sit , & Dominus ratum habeat , quod solutum est , debitor liberatur , quia ratihabitio retrotrahitur & mandato compa-

comparatur. L. 12. §. ult. ff. de solut. In judiciis puta , si quis , cum procurator non esset , quasi procurator absens item contestatus sit , ac deinde Dominus litis contestationem ratam habuerit , videtur res in judicium retro recte deducta. L. 56. ff. de Judiciis. In maleficiis , sic si quis alium meo nomine vi dejecerit , idque ego ratum habuero , dejecisse videor. L. 14. ff. de vi & vi arm. L. 252. ff. de R. J. Limitatur tamen Regula 1) si mandatum vel consensus præcedens pro forma actus a lege requiratur : quo calu ratihabitio mandato non comparatur. princ. J. de Nupt. §. 2. Inst. de Auth. Tutor. L. 9. §. 5. ff. ed. L. 25. §. 4. ff. de acquirend. vel amittend. heredit. Sic consensus seu jussus Parentum præcedere debet in nuptiis liberorum. cit. princ. Inst. de Nupt. Ideoque ratihabitio ad initium nuptiarum non retrotrahitur , sed ab eo demum tempore eas legitimas efficit , quo accessit. L. 13. §. 6. in fin. ff. ad L. Jul de Adult. L. 68. ff. de Jure dotium. 2) Limitatur , si negotium non nostro nomine gestum sit : Hoc enim casu nihil agitur ratihabendo. Sic si Pater nuptias filii viduam intra annum luctus ducentis ratas habuerit , infamis non efficitur , qui tamen , si initio mandasset , omnino infamia notatus fuisset. L. 12. & 13. princ. ff. de his , qui not. infam. Item si quis servum non necessarium emerit filiofamilias , licet Pater ratihabuerit , nihil tamen actum censetur. L. 6. §. 6. ff. de Neg. Gest. 3) Limitatur , si ratihabitio non accedat intra illud tempus , quo actus expediri potuit. L. 24. ff. rem ratam haberi.

### S. XXV.

Huc quoque referendum est , quod commento legis tempus aditionis hereditatis conjungatur & continuetur cum

D 2

tempore



tempore mortis L. 138. & 193. ff. de R. J. ne unquam  
 testator sine herede fuisse videatur. Hinc heres quandocun-  
 que adeundo hereditatem, jam tunc a tempore mortis defuncti  
 successisse intelligitur L. 54. ff. de acquir. hered. Cujus con-  
 junctionis & continuationis temporum complures passim re-  
 periuntur effectus. Sic etenim nondum adita hereditatis tem-  
 pus ad usucaptionem heredi accedit. L. 31. §. pen. L. 44. §.  
 3. ff. de usucap. Sic servus hereditarius stipulari potest he-  
 redi futuro, quia qui postea heres extitit, videtur ex mor-  
 tis tempore successisse defuncto L. 28. §. 4. ff. de stipular.  
 serv. Item qui jacente hereditate negotia gessit, post aditam  
 hereditatem, eo nomine heredem obligatum habet, quam-  
 vis neque testatoris jam defuncti, neque heredis, qui non-  
 dum adierat, negotium gessisse videatur. L. 3. §. 6. ff. de  
 Neg. Gess. Sic quoque procurator generalis, si ejus nomine  
 judicium instituat, cui delata est hereditas, non potest repelli  
 ex eo, quasi ante hereditatem aditam heredi nihil negotii cum  
 bonis defuncti fuisse, quia postea adeundo hereditatem, ra-  
 tum fecit heres, quod gestum est. vid. Dec. ad L. 193. de  
 R. I. Hic tamen notandum, quod haec regula, qua haeres  
 adita hereditate ex tempore mortis defuncto haeres extitisse  
 fingitur, referenda sit ad continuationem eorum, quae sunt  
 Juris, non æque eorum, quae sunt facti, uti est possessio. Hanc  
 enim, quia facti est, adhuc apprehendi oportet L. 1. §. 16. ff.  
 si is, qui testam, liber esse jussus. L. 23. ff. de acquir. posses.  
 Quia aditio non adfert secum possessionem L. 14. C. de jure  
 deliber. Hinc etiam hoc intuitu huic regulæ temperamenti no-  
 tam inferuit Celsus Ictus ita dicendo: *Omnia fere jura here-  
 dum perinde habentur ac si continuo sub tempus mortis heredes  
 extitissent, in l. 193. ff. de R. J.*

J. XXVI.



### §. XXVI.

Præterea huc etiam pertinet regula , quæ traditur in L. 131. ff. de R. J. Quod is qui dolo desit possidere , adhuc possidere censeatur. Ratio est , quia pro possessione dolus est. conf. cap. 36. de R. J. in 6to. Sic itaque qui dolo hereditatem possidere desit , & que tenetur hereditatis petitione , atque ille , in quem dolo malo translata est possessio. L. 25. §. 8. L. 20. §. 6. ff. de Hered. petit. Sic quoquæ rei vindicatione tenetur non tantum is , qui rem possidet , sed etiam qui ante litem contestat dolo possidere desit , L. 27. §. 3. ff. de Rei vindic. L. 12. ff. de Noxal. action. Sic porro , qui rem corrupti , aut alias dolo fecit , ne possideat , nihilominus actione ad exhibendum tenetur. L. 9. pr. ff. ad Exhib. Quæ regula non solum procedit in dolo , sed etiam in culpa. Nam & is , qui culpa sua possessionem amisit , ad aestimationem condemnatur. L. 63. ff. de Rei vind.

### §. XXVII.

Tandem hoc commentum seu fictio retrotractionis valet in conditionibus. Sic etenim coinditio casualis quandocunque existens retrotahitur ad tempus stipulationis vel contractus: v. g. si primus creditor sub conditione pecuniam crediderit obligatis pignoribus , & pendente conditione secundus eidem pecuniam pure crediderit sub iisdem pignoribus , postea existente conditione prioris stipulationis , prior creditor in pignore praesertur secundo , quia perinde est , ac si stipulatio ab initio pure facta fuisset L. 1. ff. qui potior. in pign. Item si sub conditione res venierit , & pendente conditione emtor vel vendor decesserit & conditio extiterit : Heredes utriusque obligantur quasi jam contracta emtione in præteritum.

D 3

L. Neces-



*L. Necessario 8. in princ. ff. de Peric. & comm. rei vend.*  
*Conditio quoque existens retrotrahitur in testamentis: utputa*  
*si miles deceperit intra annum post missionem, valet ejus te-*  
*stamentum jure militari, etiam si post annum conditio insti-*  
*tutionis extiterit. L. 38. ff. de Testam. mil.* Et hæc sunt,  
*quæ in præsentiarum pro tempore & materiæ ratione de jure*  
*commentitio exhibere voluimus, in quibus acquiescere*  
*placuit, ne disputationis & propositi limites*  
*transgredemerum.*

*S. D. G.*







**ULB Halle**  
003 491 609



3

*Sh.*







1723/5 7.7. 21  
DISSERTATIO IVRIDICA  
DE  
IVRE COMMEN-  
TITIO  
QVAM  
PRAESENTE  
DN. IOH. GEORGIO  
FICHTNERO  
IVRIVM DOCTORE PANDECTARVM P. P.  
PERILLVSTRIS REIPVL. NORIMBERG. CONSILIARIO  
H. T. FACVLTATIS IVRID. DECANO  
ERVDITORVM EXAMINI  
SVBMITIT  
AVTOR ET RESPONDENS  
GOTTLIEB FRIDERICVS THOMAS  
BARVTHO-FRANCVS.  
AD D. XXVI MAII MDCCXXIII.

ALTORFI  
TYPIS IODOCI GUILIELMI KOHLESII ACAD. TYPOGR.

